



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Anno Episc. 4. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

596 VITA SANCTORVM. 4. Dec.

sponsam etiam castitati , potentissimis verbis
coegerit. Exinde cum Romam profectus fuisset,
qui casam Divi exsuerunt hostes , male omnes
perierunt, & id ipsum Pontifici , cum fieret , Rome
GALGANVS narravit. Redux deinde ad beatam
missionem illis verbis à Deo vocatus est : *Satis est*
quod laborasti; metes nunc quod seminasti. Quin i-
gitur & tu laboras , nec parcā manu recte facta se-
minas ? Ibi certe falcam suam in alienam messem
neimini licebit mittere. *Ex Ferrar.*

*Laqueus est mundus, qui voluptaribus & op-
ibus, velut escis, objectis, allicit atque caput incātus,*
*& secum trahit in nassam interitū. Vnde uix pos-
sibile videtur, ut, qui mundi legibus vivit, immi-
culatus hinc emigret. Hugo Philonius de Scient. be-
ne mor.*

S. ANNO EPISC. 4. Decembris.

ANNONEM à pucro pater suis , hoc est milita-
ribus, studiis imbuit. Abhinc avunculo au-
tore à Marte ad Musas honestissimā defectione
transfivit. Iam Musæ commendarunt Henrico III.
Imp. qui eum inter Palatinos suos adlectum mox
infula Coloniensi donavit. Hac ornatus ad con-
cionem numquam sine lacrymis auditus est ; quod
suisille sanguinem veluti omnium singultibus daret.
Diuitiis cùm affueret, sape tamen nec obulum
ipse , omnia pauperes habebant , quos ille velut
thesauros suos (& erant) secum circumducebat ,
pater idem horum , & mater pupillorum. Aedes
xenodochii unas , monasteriorum condidit &
amplissimè dotavit quinque, non morituras filias.
Libertatis Ecclesiasticæ egregius propugnator
insulam nulli, neque adeò, à quo eam acceperat ,
Cæsari submittebat, juris quam vitæ appetentior.

Sed

Sed nec urbe pulsus à civibus suis animum despon-
dit. Quod tamen redux alienorem ab his ani-
mum ferret, visus est sibi noctu, cum inter Divo-
rum Episcoporum comitia locum vellet capessere,
aditu prohiberi, quod in veste cetera candidissi-
mâ unicam maculam præ pectore gestaret, quam
tamen ipsam mox una cum injuriæ memoriâ ex
animo delevit. Mortuus est anno M. LXXV, cum se
MARIAE unicè ac saepius commendasset. Cælum
nempe subiturus januam hujus pulsabat. Ex Surio.
Tamdiu quisque peccata sua ignorat, quamdiu cu-
riose aliena considerat: qui semet ipsum aspicit, non
querit in quo alios frequenter reprehendat, sed in se-
metipso, quod lugeat. S. Bern. I. de Inter. Domo.

S. BARBARA V. & M. 4. Decembbris.

NVllius tam a vitâ nomen ablusit, quam BAR-
BARA. Dioscorum habuit parentē Deorum
mancipium, ipsa Deo addicta. Matura, ob for-
mam, turri inclusa, libertate Christianâ, si um-
quam, est usa. Tersanctæ enim Triadi devota, ut
fidei radii splendidius animis illucerent, binis
fenestris tertiam superaddidit, balneum vero multa
cruce insignivit, gnara qui mentibus lavandis
ex hac fontes scaturirent. Interea cum stomacho
Dioscorus intelligit, filiam Christianam esse, &
ferro insequitur. Sed sinum, quo parens expule-
rat, mons prebuit disclusus. Et lubens thesaurum
hic occultasset, ni qui miraculum viderat, inno-
centem oculam pastor nequam prodidisset.
Captam itaque filiam inaudito exemplo ad tri-
bunal pater rapit, cædi virginis viscera sua videt,
sanam à Christi manu iterum affligi, quin ubera
etiam castissimæ abscondi, non facturus, si bibisser
ubera.